



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

98. Dominica 4. Quadragesimæ. Errores Magistratûs Ecclesiastici circa
Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

stum, & teneat, rogabo Matrem dolorosam, ut me cohibeat, ne tam odibili vinculo unquam ligem Christum. Eheu! spiritus oris nostri Christus D. captus est in peccatis nostris! in fructus nostrarum dissolutionum, & effectus abusuum libertatis. Dirumpamus nunc; si libet, Dei legem, demus licentiam sensibus, vivamus juxta carnis appetitus: Ego interea, inquit Christus, catenis vinciar. Superbite vos famulitio, & honoribus: Ego derelinquar ab omnibus, & omni contumeliâ replebor. Impendite ipsas noctes in delicijs: Ego tristitiâ, tædio, pavore, & mœrore ad mortem usque infestabor, & tandem nervis, & spinis, clavis & cruce enecabor. O IESU mi! qui te sic afflictum videt, neque vinculis tuis commovetur, satis ostendit, se complicem delicti. Vincula, & viæ tuæ duræ sunt timori, leves a-mori, Aug. l. de nat. & grat. c. 7.

MEDITATIO XCVIII.

Dominica 4. Quadragesimæ,

Errores Magistratus Ecclesiastici circa Christum.

Videbo supremum 72. virorum concilium contra Christum præside Lucifero, qui tantis suspicionibus anxius primò usque ad tentandi erupit audaciam, deinde ad tempus secedens, fortior tandem hâc hora suâ pleno
ago

agmine prorupit, ingens in IESU pertimescens cœlestis molitionis arcanum, ut ait D. Hilar. in c. 4. Matt. Petam illos errores agnoscere, & detestari eorum causas.

Conf. 1. Qui à tot millibus hominum ad regnum quærebatur, nunc à Principibus Religionis quæritur ad mortem turpissimam erroneam: quia prius decreverunt Christum morti tradere, antequam esset mortis reus. Matt. 26 ordine præpostero. 1. velle occidere. 2. Quærere causam occisionis: hinc etiam præpostere interrogant Christum 1. de discipulis. 2. De doctrina, cum hæc sit Mater, illi filij.

Conf. 2. Alteram causam fuisse mores perverfos Phariseorum, & Scribarum, qui circa res ad salutem scitu necessarias hallucinantur, rati licitum odium inimici, vindictam homicidiumque interitum, & similia: Unde quia à Christo arguebantur, cum a versati licite putabant odio habendum, adeoque dato mali principio etiam interimendum. Non potest stare cõmunitas, ubi morum diversitas.

Conf. 3. Causam fuisse, quod Principes. Si complures, atque inter eos Caiphas fuerint Hæretici, sive de secta Saduceorum, ut colligitur ex Act. Apost. c. 5. v. 17. & c. 23. & notavit August. conera Faust. l. 19. c. 28. Negabant autem Saducei alteram vitam, animam immortalitatem, Angelos, & Providentiam divi.

divinam, quos Christus Matt. 22. refutavit, idcirco majori odio eum averfabantur, & ea contra Christum machinati sunt, quæ libro Sapientiae c. 2. patheticè describuntur, maxime à versu 12. & 18. *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: Excacavit enim illos malitia eorum quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem.*

Conf. 4. Causam fuisse ex secunda, & tertia ortam, amorem fortunarum, & rerum hujus vitæ. *Quid facimus, inquiunt Ioan. 11. Quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Difficultatem resolvit Caiphas, Vos, inquit, nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Cum plausu acceptum est consilium: sequitur enim: Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Agnosco in quæ absurda provolvantur, qui non rationem sed effectum, non conscientiam sed passiones sequuntur: Et adhuc dubitem affectus meos DEO subicere? Ad majus lumen viresque acquirendas ita faciendi, accedam ad SS. Eucharistiam, de qua ait D. Aug. *Christiani comedendo crucifixum illuminantur. Ps. 33. & si inordinatus amor dixerit pro se illud**

164 FERIA 2. DOM. 4. QUADRAG.
illud Caiphæ expedit, dicam contra illū aliter
expedit Christi Matt. 5. *Expedit, tibi ut unum
membrorum tuorum pereat, quam totum corpus
mittatur in gehennam.*

MEDITATIO XCIX.

FERIA 2. DOM. 4. QUADRAG.

Septem concilia contra Christum habitata.

Aspiciam duo concilia circa Christum Deum
impiorum in terris, & in cælis Dei. Pe-
tam utrumque agnoscere.

*Conf. 1. Media quibus usi sunt ad nocen-
dum Christo, fuisse consultationes, quas se-
ptem vicibus habuerunt. 1. Matt. 12. Con-
cilium faciebant adversus eum, quomodo perde-
rent eum, quod Sabbatis curaret, livore per-
moti: Non enim culpa fuit vel hominem
manum extendere, vel Christum sanare. 2.
Matt. 21. Quod e templo eijceret, post di-
lemma ijs propositum de Ioannis baptismo
unde esset, & parabolam de vinea, rursus
Pharisæi quærebant modum, quo possent eū
tenere. 3. Matt. 22. Concilium inierunt ut
ceperent eum in sermone multis modis. 4. Ioan.
11. in Concilio apud Caipham proximè me-
morato. 5. Matt. 26. Apud eundem, ubi
Iudas intervenit acceptissimus, dum ait:
Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?
6. Matt. 14. Apud Annam & Caipham ve-
spere*